

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (46)

4.13.4. De problemate Tragoessiano crescente deque Ottilianis difficultatibus internis (1)

In Capitulo generali colloquiis, disputationibus decretisque nonnulla sunt effecta. Etiamsi de re Tragoessianā sermo factus erat, participes scilicet non pervēnerunt ad ullam solutionem problematis.

In ipso praedio Tragoessiano - sicut semper - insimul plures difficultates vigeant. In ipso loco unā ex parte agebatur de condicione, quā administratio apparatusque operari pergeretur atque venditione lignorum quaedam accepta pecuniaria colligerentur, quibus nonnulli ex sumptibus oeconomiae quadamtenus erogari potuerunt. Sed etiam his condicionibus de variis quaestionibus deliberandum erat, quae ad lignorum emptores inveniendos, ad merces transportandas, ad ligna in serratrīnis tractanda, ad structuram machinasque bene colendas, ad homines in praedio silvestri operantes (et ad multa alia) spectabant. Prolixum autem commercium epistulare inter consiliarium saltuarium Iosephum Dimitz et P.rem Notkerum Mannhart de his rebus singillatim nos certiores facit atque in multas quaestiones singulas minutasque inspicere sinit.¹

Difficile exempli gratiā erat iterum iterumque negotiatores lignorum invenire, qui ligna caesa pretio conveniente emere parati erant atque valebant.² Ibīdem unāquāque vice etiam de copia, de genere atque de condicionibus

1 De illo spatio temporis, quo P. Notkerus Mannhart munus Tragoessianum suscepit, ad illum diem, quo praedium silvestre reliquit, octoginta quattuor epistolae inter ipsum atque Iosephum Dimitz missae asservatae sunt. Ad eas praeterea accedit fustum commercium epistulare cum cellerario P.re Aloisio Seibert atque litterae cum aliis permutatae.

2 Cfr. ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Iul. a. 1928 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 6 m. Sept. a. 1928 missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Sept. a. 1928 directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Sept. a. 1928 missa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 6 m. Oct. a. 1928 data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 13 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 30 m. Nov. a. 1928 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Dec. a. 1928 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2).

probandis agebatur. Praeterea serratrinas, quae partim locatae erant,³ exercere problemata efficere potuit, cum machinae non solum curandae, sed saepe etiam renovandae erant. Aliud problema, quod hōc in conexū exortum est,



Tractatio lignorum in tugurio iuxta domicilium Tragoessianum sito.

erat coniunctio cum officina fratrum Hörsch.⁴ Videtur autem imprimis actum esse de lignorum copiā, quam officina Hörsch desiderabat atque praestiterat et quam Tragoessiani regulariter exhibere non valuerunt. Itaque responsales et praedii silvestris et Ottilienses ad deliberationem pervēnērunt, quā contractum cum officinā Hörsch solvere melius esset. Inde ab mense Iulio a.

3 Hōc in conexū imprimis contractus cum viro nomine Zinser afferendus est, qui deinde de serratrīnā in loco Tragöß sitā responsalis erat. Tamen haec quōque cooperatio non ita facilis erat, quia in initio res de pensionibus ab illo Zinser solvendis non ita bene operata esse videtur. - *Cfr* ex. gr. epistula Iosephi Dimitz die 25 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Dec. a. 1928 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 14 m. Dec. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Ian. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 11 m. Apr. ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2). - De contractū cum illo Zinser inito in posteriore conexū denuo agendum erit, quia ex aliis causis de hac re problemata exorta sunt.

4 Officina fratrum Hörsch iam in consiliis ad praedium silvestre emendum captis involuta erat, cum P. Ludgerus Breindl certam copiam lignorum, quam officina Hörsch in futuro pro certo accipere praestiterat, in computatione suā pecuniae comparandae respexisset. - *Cfr* cap. 4.13.1.

1928ⁱ itaque conamina hac in re suscepta sunt,⁵ quae denique effectum habebant, cum contractus solveretur atque damni resarciendi summa pecuniaria 26.000 marcarum officinae Hörsch danda esset.⁶ Putaverunt quidem Ottiliani hanc summam esse satis magnam, sed melius esse satisfactionem pecuniarum solvere et hunc in modum libere disponere posse.⁷

Cum Ottiliani praedium silvestre Tragoessianum administratione propria susciperent, satis celeriter manifestum erat ibidem labores usque ad illud temporis momentum non satis rationabiliter exanclatos eesse. Consiliarius saltuarius Dimitz condicionem priorem etiam oeconomiam male tractatam appellavit.⁸ Itaque erat ex principio magni momenti hanc oeconomiam aliquo modo sanare atque restituere, etiamsi processus cum Rudolfo von Leuzendorf adhuc instabat atque eius exitus nesciebatur et etiamsi Ottiliani praedium silvestre fortasse iterum vendere voluerunt.⁹ Illi autem, qui in ipsos labores in praedio faciendos directe involuti erant, nempe consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz atque P. Notkerus Mannhart, opinabantur in praedio disponendo atque tractando ita agendum esse, tamquam idem retinendum esset, etiamsi ipsi ad ventionem opportunam haberent mentem apertam.¹⁰ Haec opinio erat vere prudens, quia non solum accepta pecuniaria erant quaerenda, ut expen-

5 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 10 m. Iul. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 23 m. Iul. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 26 m. Iul. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 11 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

6 Cfr epistula Aloisii Seibert die 11 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Oct. a. 1928 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2), quo die P. Notkerus Mannhart contractum solutionis nomine «Culturalis Societatis» subscriptum P.ri Aloisio Seibert remisit.

7 Cfr epistula Aloisii Seibert die 7 m. Oct. a. 1928 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2).

8 Cfr ex. gr. epistula Iosephi Dimitz die 11 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

9 Itaque ex. gr. Notkerus Mannhart die 8 m. Mart. a. 1929 ad Norbertum Weber (ASO, A.4.2) scripsit praedium tantummodo vendi posse, si esset sanatum, ad quam condicionem efficiendam praeter alia nova dispositio modi laborandi esset maximi momenti.

10 Cfr huiusmodi sententiae ex. gr. prolatae in epistulis Notkeri Mannhart die 16 m. Ian. a. 1929 ad Rupertum Klingseis directa (ASO, A.4.2); Iosephi Dimitz die 24 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2); Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

sae currentes solverentur, sed praeterea quia praedio oeconomice bene tractato eius valor in vendendo augebatur. Inde ex illo temporis momento, quo Iosephus Dimitz magis magisque in res praedii silvestris insertus erat, idem itaque deliberationes de novā praedii dispositione exhibere coepit, ut laboribus efficacibus saltem tanta accepta efficerentur, ut iisdem oeconomia sustentari et fortasse etiam usurae instantes solvi possent. Hoc tamen non erat inceptum facile, quia eōdem mutationes ampliores in rebus exstantibus postulabantur. Praeparatio atque peractio huius novae dispositionis, quantum eadem effici potuit, artā cooperatione cum P.re Notkero Mannhart, administratore praedii Tragoessiani, fiebat. Nihilominus evidens est etiam consiliis exacte exaratis atque eisdem singulis gressibus peragendis non omnia statim atque uno haustū fieri potuisse et effectūs quōque non immediate perceptos esse.¹¹

Compluribus autem silvae inspectionibus in praedio Tragoessiano factis, chartis geographicis atque tabellis specialibus consiliarius saltuarius Dimitz conspectum subtilem sibi acquisivit, qui erat fundamentum ipsius deliberationum. Quae ergo erant proposita?¹² Maximi momenti secundum Iosephum Dimitz erat stricta dispositio munerum, quā auctoritates clare definitae distribuebantur atque hierarchia quaedam instituebatur. Itaque in summitate structurae erat unā ex parte repraesentans possessoris, id est administrator praedii silvestris, et alterā ex parte is, qui supremam custodiam oeconomicam moderabatur.¹³ Ut aliud elementum praefectura saltuaria provisa erat, quae ex p̄stino loco in vico Vordernberg sito in vicum Tragoessianum transfereba-

11 Iosephus Dimitz videtur - quod bene intellegi potest - impatientiā quādem impulsus fuisse, cum die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart (ASO, A.4.2) scriberet multa quidem iam meliorata esse, sed ipsos cooperatores mentem necessariam nondum habere, ut labores rationabiliter atque efficaciter conficerentur.

12 In epistulā quādam die 27 m. Febr. ad Notkerum Mannhart datā (ASO, A.4.2) Iosephus Dimitz conspectum exhibuit, quo nonnulla puncta principalia illius dispositionis novae enumeravit. Quaedam iam aliis in conexibus commemoravit. Tamen aspectūs alicuius momenti exstabant, quae solum in corrente commercio epistulari inveniuntur.

13 *Cfr* epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - *Cfr* etiam epistula Iosephi Dimitz die 16 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2), quā iam initia huius structurae novae inveniuntur, cum hōc locō instructio exhibebatur, ut omnes epistulae non ad praefecturam saltuariam mitterentur, sed ad «administrationem superiorem praedii silvestris Tragoessiani» dirigerentur.

tur.¹⁴ Cooperatores autem praefecturae saltuariæ erant quattuor homines, nempe tabularius superior, arcarius, secretarius saltuarius atque tabularius



Vicus Vordernberg.

saltuarius.¹⁵ Illos quattuor homines Iosephus Dimitz in administratione sufficere putavit. Structurā praefecturae saltuariæ mutatā praeterea ratiocinatio efficacior instituenda erat.¹⁶ Aliud punctum maioris momenti erant institutiones quaestuosae, ad quas pertinebant regiones saltuariæ, agricultura, serratrina atque funiviae.¹⁷ Structura vero nova praesertim in eo constitit, quod regiones saltuariæ coniungebantur atque earum numerus minuebatur, ita ut tantummodo quattuor restarent, nempe regiones Vordernberg, Rötz, Jassing atque Tragoess (regiones Tragoess-Oberort et Tragoess-Unter-

14 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Maii a. 1929 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2). - Transmigratio definitiva praefecturae saltuariæ in vicum Tragoessianum medio mense Maio facta est.

15 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

16 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 16 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 20 m. Dec. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2). - Ut ratiocinationis mutatio revera Kal. Ian. a. 1929 fieret, provisum erat, sed res retardata est propter consultationes vendendi, quae modo agebantur.

17 Opificinae, quae in vico Tragöß-Unterort sitae erant, dissolvendae erant.

ort in unam coniungebantur).¹⁸

Cum his omnibus mutationibus praeterea cohaerebat etiam condicio, quā structura cooperatorum efficacius redigeretur, id est homines dimitterentur, imprimis quod attinebat ad officiales saltuarios. Illi autem, qui manserunt,



Regio saltuaria Jassing.

secundum novam instructionem regionum saltuariarum distribuebantur.¹⁹ Hōc modō progrediendi non solum tota institutio oeconomica magis rationalis duceretur, sed etiam sumptūs minuerentur. Quamquam P. Notkerus Mannhart, quod attinebat ad administrationem atque dispositionem novam, generaliter cum Iosepho Dimitz sentiebat, tamen quaedam puncta erant, quibus eum non omnino sequi valebat. Unus alterve aspectus ad cooperatores

18 De regionibus saltuariis *cfr* epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Apr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2).

19 *Cfr* epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2), qui hōc locō quattuor homines nominatim attulit. - De quaestionibus cooperatorum *cfr* etiam epistula Iosephi Dimitz die 6 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 19 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Mart. a. 1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 20 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Apr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2).

pertinens hic includitur. Nam P. Notkerus homines «sine respectu atque condicionibus ipsorum despectis» ex laboribus dimittere vel ad alios locos transponere noluit, sed hac in re circumstantias proprias singulorum eorumque familiarum respici praetulit, ut duritia iniquissima vitaretur.²⁰

Cum Iosepho Dimitz consiliis suis oeconomicis scopus fundamentalis esset, quo lignum optimum atque vilissime producendum adhiberetur,²¹ ad alias quoque rationes se convertit, ut labores cottidiani rationabiliores, faciliores atque efficaciores redderentur.²² Nam unā ex parte modum ligni vendendi mutavit in propositum oblationum sic dictum, quod significat omnes emptores petitores rogari, ut ipsi copiam ligni emendi atque pretium solvendi exhibeant, in qua re venditor deinde propositum sibi optimum accipere potuit.²³ Emolumentum etiam erat in eo, quod venditor ipse conspectum habuit, quot metra cubica ligni caesi revera ad vendendum adesset. Ad talem modum procedendi insuper opportunum erat - sic erat deliberatio P. ris Notkeri Mannhart - lignorum depositoria centralia instituere, in quibus lignum caesum iam secundum genera ordinatum praeberi potuit.²⁴ - Erat autem secundum sententiam meam in consiliis oeconomicis Iosephi Dimitz maximi

20 In epistulā suā die 28 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directā (ASO, A.4.2) Notkerus Mannhart perceptionem suam huius modi procedendi paulo fusius explicuit.

21 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

22 Ut conspectum sibi servaret et ut celerius interpellare posset, consiliarius saltuarius Dimitz postulavit, ut relationes hebdomadales ex praefecturā saltuariā ad ipsum mitterentur (cfr epistula Iosephi Dimitz die 18 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 22 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2)). Argumentum autem, quo dicebatur cooperatores - etiam propter mutationes faciendas - nimis laboribus obrutos esse et eā de causā relationes intervallis tam brevibus mitti non posse non valere existimavit. Scripsit enim: «*Cum vehementer laborandum sit, nihil refert. [...] Ceterum non omnia credere licet, quae asseverantur.*» (epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2)). - Textus originaliter Theodiscus.

23 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 13 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). - Ante hanc mutationem ligna proposito venditoris praebebantur, quo pretium metri cubici iam indicatum erat. Praeterea ex tali proposito lignum saepe iam vendebatur, antequam exacte sciebatur, quot metra cubica in promptu essent. Eā de causā iterum iterumque difficultates subministrandi atque detrimenta pecuniaria exoriebantur.

24 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Iul. a. 1928 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2).

momenti, quod idem omnino necessarium esse existimavit, ut magnum arborum seminarium principale instrueretur, cum culturā silvestri opus esset, ut licentia magnae copiae arborum caedendae acciperetur.²⁵ Ex eo, quod haec condicio neglegebatur, postea aliquando magna problemata exorta sunt.



Tragoessiana regio silvestris, quae dicitur «Moserboden», tempore hiemali recepta.

Aliud inceptum consiliarius saltuarius praeterea proposuit, in cuius descriptione entusiasmus ipsius iam percipitur. Quia condiciones territorii Tragoessiani difficillimae erant (et scilicet adhuc sunt), eadem etiam efectum exseruerunt in lignum caesum ad depositoria, ad serratrinas, ad stationes ferroviarias transportandum. Talis vero difficultas speciali modo tempore hiemali vigeat, cum in montibus altis semper nimietas nivis exspectanda esset, quā labores difficiliores reddebantur. Itaque Iosephus Dimitz in cogitationem incidit, quā duabus in regionibus saltuariis tramina silvestria instituerentur.²⁶ Hōc in propositō imprimis cogitavit de regione saltuariā Jasing, sed in cogitationes suas regionem quoque saltuariam Rötze iam inclusit.

25 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

26 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

Praedeliberaverat autem effectum horum traminum silvestrium, quo equi omnino aboleri (Jassing) vel eorum numerus minui (Rötz), magna copia lignorum insimul transportari et hunc in modum sumptūs transportandi



Regio saltuaria Jassing.

minores reddi possent. Si magna pars equorum aboleretur, praeterea in loco Unterort necessitas quarundarum opificinarum propriarum, velut coriariae, carpentariae, ferrariae, non iam exstaret. Haec omnia plurima attribuerent ad sumptūs annuos valde minuendos.²⁷ Tamen pecuniam exstructioni traminum silvestrium erogandam putavit non esse nimis magnam.²⁸ Quamquam P.ri Notkero haec idea, quae spectabat ad tramen regionis Jassing, revera placuit, tamen quoad tramen in regione Rötz variis ex causis quaedam reservationes ei erant.²⁹ Enthusiasmo suo, cum ageretur de traminibus silvestribus, videtur

27 Summam pecuniariam, cui quotannis parci posset, Iosephus Dimitz indicavit esse 20.000-30.000 scellinos Austriacos (= 11.800-17.700 marcas).

28 Exstructionis sumptūs ad tramen regionis Jassing spectantes Iosephus Dimitz computavit fore 60.000-80.000 scellinos Austriacos (= 35.400-47.200 marcas), sumptūs traminis in regione Rötz exstruendi fore 140-160.000 scellinos (= 82.600-94.400 marcas). Pecuniam autem pro hoc incepto necessariam existimavit satis facile ex venditione equorum, ex partiali remissione tributi translationis et ex sumptibus proxenetae servandis afferri posse.

29 Eius dubitationes imprimis pertinebant ad sumptūs aedificandi laborandique, sed etiam ad territorium difficile illā in regione inveniendum. Praeterea dubitavit, num equi, quibus non iam indigebatur, tam celeriter vendi possent. - *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 5 m.

Iosephus Dimitz, quod attinebat ad sumptūs atque possibilitates pecuniae acquirendae, tamen fiducia aliquatenus nimis plenus fuisse. Haec vero idea in se vere bona, qua talia tramina silvestria instruerentur, decursū eventuum Tragoessianorum denique non ad effectum adducta est.

Dicendum autem hōc totō in conexū est consiliarium saltuarium Dimitz consilia sua non solum P.ri Notkero Mannhart communicavisse, sed scilicet omnia fundamentalia incepta propositaque de novā dispositione praedii Tragoessiani cum cellerario P.re Aloisio Seibert atque cum Archiabbate Norberto Weber disputavisse.

Tamen alia res maioris momenti, quae ad labores in praedio silvestri Tragoessiano attinebat, commemoranda est, nempe thema Fratrum. Nam sine cooperatione Fratrum - sicuti in missione - hic quōque nihil fieri potuit. Ut opificibus, in administratione, in operariis silvestribus observandis etc. eis urgender indigebatur et insuper magni momenti erant in novā dispositione structurāque praedii silvestris.³⁰ Nihilominus P.ri Notkero Fratres ut co-operatores in praedio Tragoessiano acquirere difficile erat et rogationibus, ut Fratres mitterentur, atque disputationibus de hac quaestione commercium epistulare cum Archiabbatiā expletur.³¹ In epistulis varia quidem nomina Fratrum exhibebantur, qui fortasse mitti possent, sed illa conamina videlicet ad nullum effectum duxerunt. Iam mense Iulio a. 1928ⁱ sermo erat de F.re Cosma Eckl³² ut cooperator serratrinae, qui denique circa diem 13^{um} m. Mart. a. 1929^o revera in locum Tragoessianum advēnit.³³ Mense Ianuario a. 1929^o consiliario saltuario Dimitz colloquio cum Archiabbate Norberto Weber et

Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 11 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).


30 Animum denuo advertit Notker Mannhart epistolā suā die 8 m. Mart. a. 1929 ad Norbertum Weber directā (ASO, A.4.2) ad illud consilium, quo Fratres restituerent co-operatores saeculares, quo modo sumptūs administrationis minuerentur. - P. Notkerus tali in conexū summam pecuniariam 50-150.000 scellinorum commemoravit (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Mart. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2)).

31 Nimium autem esset omnes locos afferre, quibus in commercio epistulari inter P.rem Notkerum Mannhart atque Archiabbatiam Ottiliensem (praesertim P.rem Aloisium Seibert) urgens rogatio, ut Fratres mitterentur, tractabatur.

32 Fr. Cosmas Eckl natus die 12 m. Nov. a. 1875 in vico Grub in dioecesi Ratisbonensi sito vota sua protulit die 4 m. Apr. a. 1904 in Abbatia Ottiliensi. Die 24 m. Mart. a. 1946 idem in Archiabbatiā Ottiliensi vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr. 0424, p. 49.

33 *Cfr* annuntiatio in epistolā Iosephi Dimitz die 7 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart datā (ASO, A.4.2).

P.re Aloisio Seibert contigerat, ut iīdem satis multos Fratres in praedium silvestre Tragoesianum missum iri promitterent.³⁴ Sed hōc promissum in realitate non magnum effectum exseruit. Tamen etiam deliberandum est Archiabbatiae Ottiliensi (et similiter reliquis monasteriis Ottilianis) non fuisse hominum fontes inexhaustibiles, cum et in monasteriis patriis et in regionibus missionariis semper aptis cooperatoribus indigebatur.³⁵ Praesertim claustrarios electricosque sollertes invenire difficile fuisse videtur. Ipse P. Notkerus de F.re Edvino Schmid³⁶ rogavit, qui in Archiabbatiā Ottiliensi opificinae claustrariae ut magister praeerat atque ibīdem eruditioni Fratrum tironum responsalis erat. Itaque illud desiderium resistantiam vehementem instructoris Fratrum P.ris Iustini Baumgartner excitavit, cum Fr. Edvinus in Archiabbatiā suppleri non posset.³⁷ Nihilominus Fr. Edvinus denique in praedium Tragoessianum missus est. Ad auxilium ferendum deinde praeterea Fr. Claverius Widmer³⁸ electricus provi-



Fr. Edvinus Schmid.

-
- 34 *Cfr* epistula Iosephi Dimitz die 26 m. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - P. Notkerus Mannhart etiam - quod intellegi potest - ius quoddam in Fratribus eligendis habere voluit (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2)), cum secundum ipsius opinionem hominibus saecularibus in praedio Tragoessiano operantibus non solum scientia muneris, sed etiam auctoritas propria Fratrum percipiendae essent (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2)).
- 35 Hunc conexum exstare etiam Aloisius Seibert in epistolā suā die 13 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2) demonstravit.
- 36 Fr. Edvinus Schmid natus die 18 m. Oct. a. 1903 in loco Erstfeld in dioecesi Curiensi sito vota sua die 2 m. Iun. a. 1925 in Archiabbatiā Ottiliensi protulit. Idem die 29 m. Apr. a. 1945 in Africam Orientalem emissus est. Ibīdem die 27 m. Ian. a. 1983 in loco Litembo vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr. 1019, p. 100.
- 37 *Cfr* epistula Iustini Baumgartner die 27 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). Simile argumentum etiam invenitur in epistolā Aloisii Seibert die 27 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).
- 38 P. Aloisius Seibert F.rem Claverium ad cooperationem obtulerat (*cfr* epistula Aloisii Seibert die 15 m. Apr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)), sed deinde ipse acres adnotationes criticas de eius facultatibus protulit (*cfr* epistula Aloisii Seiber die

debatur, qui verisimiliter in fine mensis Maii in praedium Tragoessianum advēnit.³⁹ Tamen postea quōque solutio huius quaestionis de Tragoessianā cooperatione Fratrum longe aberat a condicione, quā administrator praedii contentus erat.

Quod attinebat ad supremam custodiam oeconomicam iam commemoratam, consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz duo documenta exaraverat. Primo autem documento munera, iura officiaque «mandatarii missionarii monasterii Ottiliensis» constituebantur. Ille «mandatarius» erat idem ac ille, qui supremam custodiam oeconomicam sic dictam exercuit, quo munere Iosephus Domitz fungeretur.⁴⁰ Hōc documentō octo puncta continentur, quibus singulae condiciones definiebantur. Primo hac in re erat magni momenti relationes inter singulos agentes, nempe monasterium, negotiorum gestorem praepositum «Culturalis Societatis» atque mandatarium, definire.⁴¹ Scitū digna tamen sunt praecepta, quibus munera principalia mandatarii describuntur. Nam hic dicitur eidem «*totam oeconomiam in dominio Tragoess-Vorderberg sic instituendam, ducendam atque custodiendam esse, ut pactiones pecuniae mutuo acceptae, quantum fieri potest, monasterio ad pecuniam dandam non accito plene expleri possit.*»⁴² Si munera officiaque hic allata bene expleren-

11 m. Maii a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)). Tamen P. Notkerus eum assumpsit, quā de causā P. Iustinus Baumgartner speciales gratias ei egit (*cfr* epistula Iustini Baumgartner die 18 m. Maii a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2)).

39 Chron. Ottil. m. Ian ad m. Iun. 1929 illi tres Fratres praedio Tragoessiano destinati nominatim commemorantur. Ibidem legitur eos in initio mensis Aprilis ex Archiabbatiā Ottiliensi profectos esse. Tamen in indicio temporali aliquid non quadrat, cum Fr. Cosmas iam medio mense Martio in praedio Tragoessiano versabatur atque disputatio de F.re Claverio demum die 18 m. Maii a. 1929 finita erat.

40 Vorschriften für den Bevollmächtigten des Missionsklosters St. Ottilien, 28.3.1929 (ASO, A.4.2). - Hōc documentum a Iosepho Dimitz manū propriā conscriptum est et in exemplari, quod in archivio Ottiliensi asservatur, ab Archiabbate Norberto Weber subscriptum est.

41 *Cfr* Vorschriften für den Bevollmächtigten, 28.3.1929, § 1 (ASO, A.4.2). Ex illo paragrapho apparet mandatarium erga monasterium statum subditum habere, id est eum praescriptis obligatum esse, sed eum erga negotiorum gestorem esse aequalem, denique erga reliquos cooperatores praedii Tragoessiani esse praepositum, id est praescripta dare ei licere.

42 Vorschriften für den Bevollmächtigten, 28.3.1929, § 2 (ASO, A.4.2). Textus originaliter Theodiscus. - Hōc locō tamen expressis verbis dicitur Archiabbatiam Ottiliensem venditionem praedii silvestris secundum libitum suum sibi reservare. - Punctis sequentibus praeter alia praedispositio pecuniae acceptae erogataeque a mandatario exhibenda, ratio

tur - id quod consiliarium saltuarium Dimitz facere valere putandum erat -, pars quaedam problematis Tragoessiani iam soluta fuisset.

Altero documento, quod artē cum primo cohaerebat, agebatur de negotiorum gestore praeposito «Culturalis Societatis», id est de illo, qui in ipso praedio silvestri administrationi praeerat, atque de eius officii.⁴³ Status negotiorum gestoris denuo explicatur, imprimis quod attinebat ad necessariam cooperationem cum mandatario atque factum, quo negotiorum gestor in actionibus suis licentiā Archiabbatiae Ottiliensis indigebat, dummodo monasterio postulata pecuniaria erga «Culturalem Societatem» sunt, id est dummodo pecunia credita, de qua Archiabbatia cautionem praebuerat, nondum reddita erat.⁴⁴

Talia praecepta scripto modo exhibere utique erat emolumento, quod attinebat ad labores efficaciter exanclandos. Iosephus Dimitz hunc modum progrediendi instigaverat atque necessitatem huius quaestionis solvendae demonstraverat.⁴⁵ Tamen haec res tractanda a responsalibus Ottiliensibus - ut videtur - iterum iterumque differebatur, ita ut responsales saepius monendi erant, ut eadem denique transigeretur.⁴⁶ Num hae conventiones revera ad effectum adductae sint, sub aspectu eventuum sequentium aliquatenus addubitari potest.

In conexū autem novae dispositionis praedii silvestris dissensiones inter

ab eodem reddenda, compensatio pecuniaria eius laborum itinerumque tractabantur.

43 Vorschriften für den geschäftsführenden Vorstand (g.V.) des Kulturvereins Tragöß in Beziehung auf die Herrschaft Tragöß-Vordernberg, 29.3.1929 (ASO, A.4.2). - Höc quōque documentum, quo octo puncta continentur, exemplari ab Iosepho Dimitz manū scripto asservatur et ab Archiabbate Norberto Weber ut primario praeposito «Culturalis Societatis» subscriptum est.

44 *Cfr.* Vorschriften für den geschäftsführenden Vorstand, 29.3.1929, §§ 2, 3, 4 (ASO, A.4.2). - Praeterea agebatur de menstruali officio, quo relationes ad Archiabbatiam mittendae erant et de pecuniā mandatario atque monasterio dandā.

45 *Cfr.* ex. gr. epistula Iosephi Dimitz die 29 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2), quā ad commercium epistulare cum P.re Aloisio Seibert rettulit.

46 *Cfr.* epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 9 m. Apr. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Apr. 1929 ad Norbertum Weber data (ASO, A.4.2), quā P. Notkerus scripsit Iosephum Dimitz, quamquam saepius interrogavit, quoad documenta missa nondum ullum responsum habere, etiamsi eadem iam per septimanas in Archiabbatiā essent. Subiunxit autem P. Notkerus: «*Hoc est pudendum.*» - In epistulā die 28 m. Apr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missā (ASO, A.4.2) Aloisius Seibert adhuc existimavit quoad conventionem inter Archiabbatiam atque «Culturalem Societatem» properationem non esse necessariam.

administratorem praedii atque rectores Archiabbatiae sunt exortae, id est inter P.rem Notkerum Mannhart et cellarium P.rem Aloisium Seibert atque Archiabbatem Norbertum Weber, quibus certi modi progrediendi atque modi cogitandi illustrantur et quae hic breviter exhibeantur oportet.

Cum - uti iam commemoratum est - praedispositio ligni vendendi ita mutata esset, ut lignum non iam praeberetur, antequam caesum est, et ut pecunia danda non iam in antecessum ab emptoribus postularetur, in computo «Culturalis Societatis» quoad pecuniam acceptam retardatio quaedam interim exstitit, usque dum novum systema revera operabatur. Sed e contrario terminus temporalis non mutabatur, quo «Culturali Societati» debita propria erant solvenda, id est rationes nummariae, usurae, sed imprimis salaria cooperato-ribus praedii silvestris solvenda. Itaque pro illo «tempore transitorio» in computo «Culturalis Societatis» pecunia deerat, ut illas obligationes in tempore explere valeret. Ut hoc problema solveret, P. Notkerus Mannhart mandatum ad Monacensem argentariam, quae erat Commerzbank et ex qua pecunia credita erat sumpta,⁴⁷ misit rogans, ut 50.000 scellinorum Austriaco-rum⁴⁸ ad computos «Culturalis Societatis» transferrentur. Eodem tempore P.ri Aloisio Seibert de hac re nuntium dedit causam huius actionis indicans atque explicans pecuniae indigentiam hebdomadalem 20-25.000 scellinorum ex-stare, quae tamen partim ex pecuniā adhuc exspectandā persolvi posset.⁴⁹ Responso autem cellarii agendi modum P.ris Notkeri confirmari videbatur, quamquam idem in summā aliquatenus perturbans sonat. Nam P. Aloisius praeter alia scripsit se Archiabbatem rogavisse, ut idem P.ri Notkero quoad omnes summas pecuniarias nondum solutas potestates generales daret.⁵⁰ De quanam re agatur hac adnotatione, tamen non satis elucet, quia P. Notkerus, cum esset secundarius praepositus «Culturalis Societatis» atque administrator

47 *Cfr* cap. 4.13.1.

48 50.000 scellini = 29.500 marcae

49 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2).

50 *Cfr* epistula Aloisii Seibert die 7 m. Aug. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2). - Praeterea P. Aloisius de summā pecuniariā 50.000 marcarum (= 84.745 sc.) scripsit, non de 50.000 scellinis. Etiam deliberationes subiunctae de praedispositionibus atque de fructū exspectando aliquatenus mirae sunt.

praedii silvestris, potestates generales iam haberet.⁵¹ Generaliter ergo haec quaestio pecuniaria nuntio ad P.rem Aloisium dato atque eius responso in bonā viā esse videbatur. Hic tamen erat error. Nam usque ad diem 17^o m. Aug. a. 1928^o rogata summa pecuniaria nondum ad computos «Culturalis Societatis» allata erat, quamvis argentaria, c.t. Commerzbank, iam die 6^o m. Aug. a. 1928^o P.ri Notkero nuntium dedisset eodem die pecuniam translata esse. P. Notkerus hac condicione - quod bene intellegi potest - non nimis exhilaratus erat, cum pecuniā propter salaria solvenda urgenter indigeret. Itaque die 17^o m. Aug. a. 1928^o ad argentariam, c.t. Commerzbank, querimoniā epistulari se convertit et pecuniam mittendam admonuit.⁵² Deinde telegraphemate atque brevi epistolā ab argentariā missis res inopinata evēnit: Archiabbatiā Otiliensi de hac re interrogatā pecuniam transferri non posse, cum computus esset interclusus.⁵³ Hac re perceptā sensūs P.ris Notkeri bene imaginari possumus. Deinde scilicet ad P.rem Aloisium Seibert se convertit atque problema suum, quod ad salaria persolvenda attinebat, denuo clare et distincte exhibuit, sed etiam scripsit se de computo intercluso valde mirari.⁵⁴ Imprimis erga Priorem P.rem Martinum Malter indignationem suam verbis expressit, quod ipse prorsus insciens relictus erat atque pecuniam necessariam frustra exspectare coactus erat.⁵⁵ Iisdem argumentis, tamen fusius cum Archiabbate Norberto Weber egit et ei explanare conatus est, in qualem condicionem ut responsalis administrator praedii silvestris - et quod attinebat ad res pecuniarias et quod attinebat ad personam suam - hōc modo progre-

51 Hanc condicionem exstare P. Notkerus Mannhart decursū dissensionum ipse denuo explicuit (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 21 m. Aug. a. 1928 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2)).

52 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 17 m. Aug. a. 1928 ad argentariam Commerzbank missa (ASO, A.4.2). - Ibīdem praeterea commemoravit «Culturali Societati» propter mutationes in praedio silvetri instituendas in futurum quōque ex pecuniā creditā aliquid petendum esse.

53 *Cfr* epistula argentariae Commerzbank die 17 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

54 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2). - Computus autem tempore, quo P. Ludgerus Breindl erat administrator praedii Tragoessiani, iam intercludebatur et deinde condicio videlicet non iam mutata est. Hoc praeterea significat P.rem Notkerum illis mensibus, quibus ipse in praedio Tragoessiano versabatur, nondum ullam pecuniam ex illo computo acquirere conatum esse.

55 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Aug. a. 1928 ad Martinum Malter directa (ASO, A.4.2).

diendi intrusus esset.⁵⁶ Hanc rem praesertim eā de causā esse malam, cum de salariis persolvendis ageretur, pro quibus illā pecuniā indigeretur. Revera scopus, ad quem illa pecunia adhiberetur, erat quaestio maximi momenti, quia operarii ad vitam sustentandam de salariis septimanatim accipiendis dependebant.⁵⁷ Quia P. Notkerus ad primam epistolam suam nullum responsum acceperat, P.ri Aloisio iterum de hoc themate scripsit tamen indignationem suam apertius monstrans, cum ei omissionem atque improbitatem opprobrio daret.⁵⁸ Talia verba exorta sunt ex P.ris Notkeri opinione, quā cellerarius Archiabbaei informationes non exactas traderet, quibus eiusdem iudicia dirigerentur. P. Aloisius ex suā parte compluries improbavit P.rem Notkerum non satis fuse explicuisse, ad quid pecuniā rogatā indigeret.⁵⁹ Concessit quidem in conventū Salisburgi facto de dispositione novā sermonem fuisse, sed *«multa iterum in oblivionem veniunt»*.⁶⁰ Hanc vero sententiam aliquatenus miram esse existimo ab aliquo prolatam, qui munere responsali operabatur, et imprimis condicione generali, quā de existentia agebatur.

Ut quaestionem solveret, utrum pecunia ex computo argentariae, c.t. Commerzbank, ad computos Tragoessianos transferrentur an non, P. Aloisius primo colloquium cum Iosepho Dimitz instituere voluit, quod die 24^o mensis Aprilis haberetur, deinde disputatio cum Archiabbate fieret, qui illo temporis

56 Cfr epistula Notkeri Mannhart dei 21 m. Aug. a. 1928 ad Norbertum Weber data (ASO, A.4.2).

57 Praeterea P. Notkerus questus est, cum malam oeconomiam in praedio usque tunc vigentem sanare vellent, se ipsum semper poposcisse, ut termini temporales atque conventiones servarentur, sed nunc, cum «Culturali Societati» ipsi primā vice agendum esset, nihil effici. Secundum opinionem P.ris Notkeri talis condicio erat insustentabilis. - Hunc in modum Notkerus Mannhart etiam scripsit in epistolā die 26 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert datā (ASO, A.4.2).

58 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 23 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2).

59 Cfr epistula Aloisii Seibert die 23 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 31 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2). - P. Notkerus tamen existimavit et cellerarium et Archiabbatem exacte scire debuisse, de quam re ageretur, cum antea de inceptis in praedio Tragoessiano efficiendis longa colloquia essent habita.

60 Epistula Aloisii Seibert die 23 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

momento in vico Cocella⁶¹ ad ferias agendas versabatur, denique senioratus et fortasse etiam conventus interrogaretur.⁶² Hic progrediendi modus lentus atque retardans P.rem Notkerum Mannhart scilicet usque ad extremum excitavit, cum transactio quastionis salarii ei erat urgentissima.⁶³ In angustiis suis ad Priorem P.rem Martinum Malter se convertit eumque rogavit, ut hanc rem curaret atque faceret, ut conventus celerrime de ipsā diiudicaret. Si necessarium esset, ipsum ad sessionem conventūs ad Archiabbatiam venturum atque condiciones explicaturum esse.⁶⁴ Sic factum est, ut haec res paulatim progredieretur. P. Prior enim effecit, ut senioratus interclusionem computi aboleret, et consiliarius saltuarius Dimitz cum P.re Aloisio atque cum direttore argentariae colloquium de licentiā pecuniae mittendae habuit.⁶⁵ Aliquando in initio mensis Septembris pecunia denique ad administrationem Tra-

61 Cocella: *Kochel*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Wiesbaden 1971, p. 105.

62 Cfr epistula Aloisii Seibert die 23 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2)

63 Hōc praesertim manifestatur in epistolā suā die 24 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2), quā scripsit haec: «*Si per octo quattuordecimve dies recusatio salariorum sic continuabitur, tunc finis tragoediae erit - cum scandalo! Hoc serio cognoscas oportet et nuntium Reverendissimo quōque des. Ipse hunc in modum me a responsalitate liberum esse declaro.*» - Textus originaliter Theodiscus. - Similiter excitatus denuo verba protulit in epistolā die 26 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert datā (ASO, A.4.2).

64 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 27 m. Aug. a. 1928 ad Martinum Malter directa (ASO, A.4.2). Scitū digna est sententia, quam P. Notkerus hōc in conexū protulit: «*Cum conventū directe loqui omnino praefero quam cum dominis incertis, arbitrariis atque inconstantibus P.re Aloisio atque Archiabbate Norberto. Salva omni reverentia digna et debita hanc persuasionem erga te Pr.em Reverendum hōc in conexū tamen proferre debeo.*» - Textus originaliter Theodiscus. - Hoc quidem erat iudicium durum, quod tamen ex ipsā condicione atque angustiis, praeterea ex totā P.ris Notkeri experientiā Tragoessianā tunc factā provēnerat.

65 Cfr epistula Martini Malter die 27 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 29 m. Aug. a. 1928 ad Martinum Malter directa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 30 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). - In epistolā quādam die 31 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missā Aloisius Seibert longe lateque explicuit, quae omnia ipse fecisset, ut rem ad finem duceret.

goessianam pervēnit.⁶⁶ Cum autem cogitemus ex mandato summae mittendae usque ad eius translationem plus quam quattuor septimanas transactas esse, talia rebus tantopere urgentibus erant vere iniquissima. Itaque bene intelligitur P.rem Nokerum valde stomachatum esse, cum non solum de salariis operariorum ageretur, sed etiam de auctoritate statūque «Culturalis Societatis» et hunc in modum etiam Archiabbatiae Ottiliensis.⁶⁷ Quod autem P. Notkerus Mannhart atque P. Aloisius Seibert invicem problema personale habebant, propter indoles suas fortasse iam antea sic se habuit, tamen in hac re modo descriptā primā vice manifestum fit. Sed talis condico - ut videbimus - decursū eventuum historiae Tragoessianae manet eadem.

Praeter conspectum, qui praeberetur in modum progrediendi atque facultates nonnullorum hominum illo tempore agentium, tamen hōc in conexū alia quōque quaestio exoritur, nempe cuius fuisset pecunia in computo argentariae, c.t. Commerzbank, deposita. Propter difficultates, quae ei offerebantur, P. Notkerus primus hanc quaestionem tractavit. Nam secundum eius sententiam responsales de condicione iuridicā sibi non vere consciī esse videbantur. Ipse existimavit summam pecuniariam in argentariā Monacensi depositam esse possessionem «Culturalis Societatis» neque Archiabbatiae Ottiliensis.⁶⁸ Contrariae autem erant persuasiones Archiabbatis atque P.ris Aloisii Seibert,

66 Epistulā quādam die 15 m. Sept. a. 1928 ad directorem argentariae, quae est Commerzbank, directā (ASO, A.4.2) P. Notkerus denuo directe questus est de problemate computi interclusi et explicationes petivit. Eas revera die 20 m. Sept. a. 1928 (ASO, A.4.2) accepit et insimul rogabatur, ut rem excusaret. Ei explicabatur computum «Culturalis Societatis» tempore P.ris Ludgeri Breindl ab Archiabbate interclusum esse et argentariae sectionem, quae mandatum a Patre Notkero acceperat, hanc condicionem non bene percepisse atque eā de causā ei positive respondisse. Simulatque hic error animadversus esset, statim telegraphema ad P.rem Notkerum issum esse pecuniam in praesenti mitti non posse.

67 Scitū dignum est P.rem Notkerum Mannhart in epistulā suā die 21 m. Aug. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, A.4.2) questum esse statum suum ut administratorem praedii Tragoessiani non satis agnitum esse. Responsalitem crescentem, quae ipsi esset, auctoritate maioratā atque condicione, quā hac in re magis sui iuris esset, sustentandam esse. Patrem, qui praedio silvestri praeesset, sub omnibus aspectibus revera negotiatorum gestorem praepositum «Culturalis Societatis» esse debere. Auctoritates clare esse definiendas. - Quod talia postulavit, iure miritoque fecit, ut ex dissensionibus de re pecuniariā apparet. Tamen illa postulata nullas sequelas exseruerunt.

68 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Aug. a. 1928 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 21 m. Aug. a. 1928 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2).

nempe pecuniam esse possessionem Archiabbatiae neque «Culturalis Societatis» et itaque tantummodo Archiabbatiam licentiam decernendi habere.⁶⁹ P. Aloisius Seibert in argumentis suis unā ex parte protulit rem ita se habere, quia Archiabbatia cautionem pecuniae creditae praeberisset,⁷⁰ alterā ex parte quoad institutiones Romanas «Culturalem Societatem» omnino non exstare et secundum opinionem Romanam solum Archiabbatiam hanc pecuniam creditam assumpsisse.⁷¹ Hac in re argumenta cellerarii in se paululum contradictoria sunt. Problema autem meā quidem sententiā in eo constat, quod «Culturalis Societas» officialiter pecuniam creditam ab argentariā Monacensi consecuta est, quam tamen solum accipere valuit, si quis, id est hōc in casū Archiabbatia Ottiliensis, cautionem praeberet, cum ipsa «Culturalis Societas» nullam cautelam exhibere potuit.⁷² Hōc sub aspectū iuridico tamen solum significat illum, qui cautionem praebeat, in casū, quo «Culturalis Societas» obligationes suas pecuniae reddendi sive usuras persolvendi explere non valuit, pecuniam praestare debere, non vero significat licentiam, qua de pecuniā creditā disponebatur, apud eundem esse. Quod autem Archiabbatia ius de pecuniā disponendi sibi vindicavit,⁷³ denuo clare monstrat separationem inter duas personas iuridicas Archiabbatiam atque «Culturalem Societatem» fuisse meram fictionem.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 220, 2020, pp. 169-187]

69 Cfr epistula Aloisii Seibert die 23 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Norberti Weber die 24 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 31 m. Aug. ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - Norbertus Weber existimationi suae praeterea addidit haec: «... *puto esse officium meum, quo his condicionibus dubiis Archiabbatiam Ottiliensem servem atque firmem, quantopere adhuc fieri possit.*» - Textus originaliter Theodiscus. - Num dissensio de summa relative «parva» sub aspectū totius problematis fuerit efficax, tamen est addubitandum.

70 Cfr epistula Aloisii Seibert die 23 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

71 Cfr epistula Aloisii Seibert die 31 m. Aug. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

72 Sic modus progrediendi iam in convetūs sessione diei 12 m. Nov. a. 1926 explicabatur. - Cfr cap. 4.13.1.

73 Archiabbas scilicet ut primarius praepositus «Culturalis Societatis» computum intercludendum curare vel etiam usum pecuniae praescribere potuit. Inde tamen non sequitur pecuniam fuisse Archiabbatiae.